

4245
32
✓ 5978
D. D.

94
125
**SENIUM
SALOMONEUM,**

QUOD,

CONSENSU AMPLISS. FACULT. MEDICÆ
IN ILLUSTR. ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

**DN. DOCT. CAROLO
LINNÆO,**

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,

MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.

BREVITER SPECIMINE ACADEMICO

EXPLICATUM,

PUBLICE EXAMINANDUM SISTIT

**JOHANNES PILGREN,
SUDERMANNUS.**

IN AUDITORIO CAR. MAJ. DIE XX / FEBR.
ANNI MDCCLIX.

H. A. M. C.


UPSALIÆ.

VIRO

Admodum Reverendo atque Præclarissimo,

D:º NICOLAO PILGREN,


Ecclesiarum, quæ Deo in Stigtomta & Nykyrkia
colliguntur, PASTORI Vigilantissimo,

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Beneficia larga animum, omni tempore, gratum, &
sumptibus factis respondentem jure promerentur. Hu-
jus memor legis ego Tibi, PARENS OPTIME,
tenellas has studiorum meorum primitias, ea, quæ filium
debet, animi veneratione offero. Tenerrimus Tuus in
me, ab ipsis incunabulis, amor, cura, multiplici onere
coniuncta, & impensa longe maxima uberiores sane sibi
pollicentur messem; sed ignosceas, precor, quod juvenilis
etas non satisfaciatur obligationi, cui ne Nestorea quidem
sufficit. Scias vero accepta paternæ benevolentie documen-
ta, menti adeo esse infixæ, ut cana quidem & gravis,
quæ hic depingitur, Senectæ, si mihi contigerit, gratis-
simam & venerabundam eorum memoriam nunquam sit
deletura. Meum est semperque erit, pro TUA MA-
TRISQUE CARISSIMÆ salute terenni, ad Supremum Nu-
men, suspiria fundere calidissima, ardentissima. Per-
mansurus, quoad vixero,

PARENTIS INDULGENTISSIMI

filius Obedientissimus,
JOHANNES PILGREN.



L. N. 7.



nter alia perquam admiranda ac sane stupenda Sacri Codicis monumenta, Caput XII. Libri Ecclesiasticis locus est, cui interpretando, & Medici quoque & Historiæ Naturalis periti tribuerunt operam, allecti materia a suo non aliena foro. Est igitur Senectus, quam mortalium sapientissimus Rex, Salomo Sp. S. instinctu, tanto acumine, tantaque verborum concinnitate expressit, ut rerum divinarum humanarumque gnarus sit oporteat, qui genuinum sensum, & emphasia omnium hujus sermonis flosculorum, rite percipiat. Nos autem, missis explicationibus criticis & mere Theologicis, ne falcem in alienam immittere messem videamur, ea tantum delibabimus, quæ, ex naturali hominum conditione petita, laudatam hujusce pericopes particulam quodammodo

illustrare possunt. Sequimur ergo ordinem Textus, quem secundum versionem Tremellianam proponere licebit.

VERS. I.

Recordare CREATORIS tui.

Cuique mortalium, haud leviter aut oscitanter vitam transeunti, curæ omnino erit, ut sui ipsius existentiam, omniaque sua inde dimanantia officia rite perscrutetur. Simulatque oculos in suam conjicit conditionem, animadvertit se constitutum in globo quodam terraqueo, quem elementa subtilissima tegunt, astra remotissima fovent, illuminant in domicilio pretiosissimis lapidibus exstructo, pulcherrimis herbis & floribus intertexto, nec non animalibus multi variique generis exornato. Hæc omnia, iusta mentis perpendenti trutina, e vestigio patebit, unumquodque eorum Creatoris cujusdam omnipotentis opus esse, numeris absolutissimum omnibus. Usus vero rerum omnium svadet, ut plenior homo magisque reconditam sibi illarum conciliet cognitionem. Horum enim alia corpori alendo, alia, ut ipsa venena, eidem reparando, interserviunt, quemadmodum alia in alios usus economicos, domos puta vestesque, converti possunt; quibus ubi uti fruique inceperit, non potest non in summam rapi admirationem, cultumque benignissimi Creatoris, qui tam stupenda arte, tantaque sapientia paravit omnia, ut mortalium nemo, etiam sana ratione recte utens, ea mente exacte satis concipere, valeat. Concordi sapientum suffragio Theologorum,

gorum atque Philosophorum, finis creationis ultimus est gloria DEI. Si enim nullus alius præfixus fuerit creationi finis, quam ut tempus in hoc globo falleret homo; tunc sane non videmus, quæ splendor universi & excellentia utpote ullius usus, umquam extitisset; quum sapientissimus rerum Conditor nihil faciat frustra. Jam vero, postquam contigit homini quasi obambulare in medio operum divinarum, quorum quodlibet pleno veluti ore, summi Opificis gloriam & sapientiam prædicat, postquam is, pariter inter animalia, sensibus licet externis pollentia, solus tamen ratione gaudens, præque ceteris animalibus a DEO creatus, præstantissimis animæ dotibus ornatus est, prono fuit alveo, illi unice injunctum esse, ut suum & omnium reliquorum celebret Auctorem; dum cetera animantia, sibi non conscia, tamquam instrumenta hujus Systematis & media, ad finem concurrunt; illud, quod sui est officii, si neglexerit floccique pendeat homo, finis creationis haud obtinebitur, & indignum se reddit sparta, ad quam ornandam a DEO his in terris est collocatus. Omnium itaque primo inculcat Rex, Salomo, hominem in hunc mundum introductum, omnes in id intensus nervos, ut ex ipso creationis opere Creatorem cognoscat, eundemque debita prosequatur veneratione, ne in Domo splendidissima ingratus censeatur hospes.

Diebus JUVENTUTIS tuæ.

Hæc, svadente Salomone, in flore ætatis fiet consideratio. Duplex enim homini ætas est, altera, qua

accrescit, juvenus, altera, qua senectus decrefcit, prior quadraginta propemodum annos, posterior reliquum vitæ tempus, continet. In illa corpus, qua robur aliasque facultates acerefcit, in hac decrefcit & imbecillius evadit, ac fenfim fenfimque adolefcentiæ ætatiq; florenti prius obrepit fenectus, quam animadverti poffit. In juventute, homo id fibi negotii imprimis datum credat, ut Creatorem fuum cognofcere addifcat: etenim juvenilem agens ætatem, acutioribus fenfuum organis & alacriori gaudet ingenio; unde majori afficitur voluptate ex objectis jam oculis obverfantibus; cum e contrario fenio teffus, nullam fere ex illis delectationem percipit; fenfus enim, cum toto corpore, hebetiores durioresque tunc evadunt. Vegeto juvenis animo, vivida imaginandi facultate egregioque memoriæ pollens robore, in hujus univerfi scenam introductus, non potest non animo fummo commoveri totaque mente obtupelcere, quoties oculis ufurpare licet infinitam rerum creatarum varietatem, quam nobis rimandam expofuit naturæ Dominus. Juvenilibus in annis ætonici admiramur terram in altiffimos montes, perpetua nive obductos, exfurgere unde aquæ vel lapfu vehementi præcipitantur, vel fenfim paullatimque coëuntes placidum continuant curfum, donec in flumina, superficiem terræ dividenda, colligantur, nec prius defiftunt, quam in mare, unde originem duxere, fe fe exonerent.

Hos inter terræ tumores, jucundiffimi campi, valles tranquillæ, & fontes, blando murmure ad ra-

dices

dices montium plerumque scaturientes, aquam cry-
 stallo clariorem ebullientes, oculis sese conspicien-
 dos præbent. Globum terrestrem ad hæc attentio-
 ri perlustrantes animo, variis eum Lapidum generi-
 bus, colore, forma & structura inter se maxime
 discrepantibus, concretum animadvertimus. Ex his
 terræ stratis, de seculorum cursu præteritorum, eo,
 quod animalia inter marmora, & vegetabilia inter
 schistum appareant, firmo satis argumento judicamus.
 Ut metalla ponderosissima, gemmas pretiosissimas,
 pellucidissimas, pluresque hujus regni thesauros nun-
 quam satis admirandos, taceam.

Hinc in Vegetabile regnum devoluti, primo in-
 tuitu, terram, velamine & quasi concinno herbarum
 aulao vestitam, comperimus, quæ umbrosis proce-
 risque obumbratæ arboribus, inter gramina confitis,
 succrescunt. Ad harum considerationem propius
 dum oculum animumque convertimus, multiplicem
 foliorum compositionem, colorem florum, saporem
 odoremque diversissimum percipiamus, necesse est.

Animalia, quæ in hoc mundi theatro cernun-
 tur, pæne innumera non ultimum sibi admirationis
 locum vindicant, dum unumquodque eorum, ab
 armentorum maximis ad minima insecta, currit,
 volat, natat, se sustentat, armis semet ab impetu
 hostium defendit, æstro sese propagandi flagrat, &
 providam natorum curam agit, donec tandem sibi-
 met providere, suosque profigare hostes, ipsi va-
 leant. Cernimus denique unum eorum, alteri
 destructionem & interitum minitari, cum unum ex
 altero

altero vivat, ut unius destructio sit alterius reparatio, dumque languidiora succumbunt, ut opus creationis perenni rideat flore. Itaque singula lætantur de propagatione, laborant pro sustentatione, pugnant pro conservatione, tamquam pro seipsis; cum tamen hæc omnia, ad conservandum, propagandum & illustrandum mirabile summi Creatoris opus, communi veluti instinctu conspirant. Homini igitur incumbit, ut ad hanc rem curatius pervestigandam, prius animum advertat, quam *mali* veniant *dies*. Boni enim dies tantummodo juvenili assignantur ætati; at in senectute non nisi malos numerare dies licet, cum ipsa senectus morbus sit, cui extrema rerum fata imminet, &, pœnæ instar, hanc ipsam persequuntur ætatem. Quilibet enim morbo afflictus, exigua fere voluptate ex objectis hisce mundanis, quantumvis pulcerrimis, perfunditur. Saluti nihil anteferendum; nam ubi dolor, ibi nec amor, nec fami locus relinquitur. Quidquid igitur fini huic nostro, hac in vita, convenienter expediendum, in accrescente ætate fiat, nec in senium usque differendum. Huic sententiæ Maronis adstipulatur effatum:

Optima queque dies miseris mortalibus ævi

prima fugit

crescente enim ætate varia nobis subeunda est metamorphosis, licet secundum regulas artis Medicæ exactissimas nostram institueremus vitam. Anno enim quinto decimo pubescere & secundari incipit homo, & in vigesimum primum ætatis annum pro-

vectus

vetus crescere fere cessat. Mulier quinquaginta annos nata, amplius concipere nequit; tum frons in rugas sulcatur, cana nive capillorum hiemat vertex, totaque vita ad annum septuagesimum vel octogesimum, ad centesimum quam rarissime ascendit.

Et pertingunt ANNI, quibus dicas, non est mihi in illis delectatio.

Quomodo, quæso, id arridere cuiquam potest, quod dolorem & molestiam indivulsos habet comites? Quidquid olim permulcebat, in senio effluxit. Cytherea ulterius suis non fascinat deliciis. Appetitus ad cibum sumendum, non cogit amplius; quæque in juventute sapiebant fercula, insipida ventriculo, orexi laboranti, jam fere evadunt; & stultitia demum, quæ ludicris nugis, animos puerorum delectabat, sub senio ingravescente, magis magisque odiosa redditur; immo functiones, quæ omnes oblectamento & constantia promptissime antea exercebantur, non nisi summa frictione, molestia, & gravissima peraguntur sensatione. Ut gaudium dolori, ita etiam salus morbo opponitur. Decrescente juventute decrescit lætitia, & ejus in locum tristissima sufficitur senectus. Quomodo, quæso, dolor & tristitia, homini placeant. Quomodo vero quis, morbis millenisque calamitatum undis, obrutus, hujus vitæ delicias rite gustare queat? At vero, qua ratione ætas senilis, & quæ hanc sæpius comitantur ærumnarum catervæ, hominem invadat, quamque mæstos apud eum efficiat casus, concinne non minus, quam divine, sapientissimus Rex Salomo, in sequentibus exponit.

VERS. II.

Tantisper dum non obtenebrescit SOL & LUX.

In hoc commate, videntur functiones animales suis vere depingi coloribus. Cerebrum in capite, summa illa corporis parte, includitur, eademque prorsus se habet ratione ad corpus, atque sol ad tellurem; ex illo enim nervi, tamquam radii undique dispersi, corpus quasi irradiant & reficiunt. Si quis de hujus rei veritate certus animoque convictus esse cupiat, seni euidam moroso, natura frigido, taciturno, labore & annis admodum defesso, dosin Nephthis capiendam, in systema nervosum, & in ejus bulbum cerebri, vim tantummodo exferentem, propinet. Quo facto experimento, sine ulla difficultate comperiet, quam vividos, sol hujus microcosmi, radios dispergat. Cum vigor animi, calor, lætitia, loquacitas, omnesque aliæ facultates, juvenili ætati propriæ, brevi e suis quasi sepulcris exsuscitatæ, resurgunt. Unde, defectum senilem magis in systemate nervoso, quam in fibroso existere, patet; cum volatilia fibras, qua tales, non moveant.

LUNAque ac STELLÆ.

Ut planetæ, per se corpora opaca, lucem a Sole mutantur; sic etiam functiones animales, nisi promptissimo systemate nervoso dirigantur, omnino langvescunt. Quotidiana experientia, memoriam ætate provecioribus deficere, singulos in dies minui, affectus torpere, judicium, imaginationem & voluntatem debilitari, testatur; sed gravissimi illi affectus, tædium & dolor remanent, & apud eos al-
tiores

tiores quotidie figunt radices; ut de illis merito dicatur, *quod densæ nubes post pluviam recurrant*. Omnes, qui in priori ætate, temperamento præditi fuere sanguineo, in posteriori melancholico obnoxii evadunt. Homines, ad seniores annos proventus, ludorum gaudiorumque, quibus juvenes delectabantur, tædet. Sirenes, juvenes ad varias voluptates invitantes, senibus jam tædium movent. Custodes mortis animos eorum, multis variisque calamitatibus, jam jam occuparunt, ut *maxima pars mortis jam præterierit, & que retro est mors teneat* teste Seneca. Sumtus demum ac reditus, magnæ sustentandæ familiæ, haud sufficere, sæpenumero senibus videtur; adeoque animi eorum, non tantum propriis, verum etiam aliorum distrahuntur curis: ita ut malum quotidie suum gemant. Nunquam his post nubila Phœbus; quippe quorum cælum plerumque spissis cooperum est nubibus; quibus item Sol microcosmi, nimium quantum obscuratur, luceque privatur pristina, adeo ut, in senectute, una calamitas vix ante desinat, quam insurgat alia. Ipsa senectus morbus est, complicatus plurimis dirisque malis, quæ pulcre enumerat Hippocrates *Aphor. III. 31. Senectuti spirandi difficultas, Catarrhi tussiculosi, Stranguriæ, Dysuriæ, Arthritis, Nephritides, Vertigines, Apoplexiæ, Cachexiæ, Scabies, Vigiliæ, oculorum & narium Humiditates, Visus hebetudines, Glaucedines, & auditus Gravitates.*

VERS. III.

Quo tempore commovebuntur CUSTODES illi domus.

Animalia pleraque, armis instructa sunt, quibus non tantum a violento hostium impetu sese liberare, verum etiam aliis noxam accelerare possunt. Homo manibus hostem suum tentat contundere & brachiis, in quibus robur primarium consistit, maxima dexteritate amplectitur. Experientia testatur, feras in homines summo irruisse impetu; sed amplexu ita compressas, & inter brachia suffocatas fuisse, ut vitam exhalare coactæ fuerint. Urgente necessitate natura unicuique animalium, custodem suum monstrat. Pecora inimicis suis cornua opponunt. *Vires in cornua sumit taurus: Ovid.* Canis rabidos dentes ostendit: Felis rapaces ungues. Equus calces remittendo hostem proffigat. Homo autem brachiis extensis adversario obviam venit suo, quæ, vicem optimi tutoris & defensoris, agunt. Quis hos domus custodes, ætate tremere & labefactari, ignorat? Tremor, detectus systematis nervosi, signum est. Quicumque in adolescentia laboribus se fregit, qui Veneri & Baccho nimis fuerunt addicti, de hoc malo primum conqueruntur. Navis in vasto mari, undis & spumantibus agitata fluctibus, procellis imbribusque obnoxia, citius vacillat & debilitatur, tensique ejus citius relaxantur funes, quam illa navis, quæ in tuto & clauso portu, tranquilla jacet.

Et pervertent sese VALENTES robore.

De gubus dictum. Cujusvis animalium robur a musculis pendet; quo fortiores enim muscoli, eo fortior motus inde resultat, & contra, ac dum plures ad unum eundemque effectum concurrunt;

tunc sane fortior evadit motus. Necessè enim est, ut funis filum, cæteris paribus, vi superet. Nulli corporis parti, tanta copia carnis, & musculorum, ac femoribus annectitur; quibus pedes & tibiæ firmantur, eriguntur & stabiliuntur, quare robori eorum, totum ædificii pondus incumbit, & illud columnarum instar sustinent; non aliter ac validissimi avium muscoli, cum maxima carnis abundantia, ad pectus reperiuntur, quorum usus, alas inter volandum extendendi, cursumque dirigendi, est maximus. Extabescente, cum annis, musculorum circa femora vi, incurvari genua incipiunt; quamobrem senex, pronis & tremebundis genibus gressum molitur; cum e contrario erecto corpore & genibus, pedem promovet adolescens. Nihil tam firmum, quod ætate & labore non frangatur & debilitetur; nec mirum, quod crura & femora, quæ per totius vitæ cursum, corpus hominis, onus haud leve portarunt, tandem fluctuari & vacillari incipiant; columnis vero declinatis, quantum domui periculum immineat, abunde constare putaverim.

Et intermittent MOLITRICES quum mandent.

Dentes, optimo jure *molitrices*, audiunt, per quas frumenta prius teruntur, quam culinam ingredi possunt. Hac in domo hordea prius sunt molenda, quam in olla h. e. ventriculo, concoquantur. Ex hoc suo effectu, dentes molares nomen sortiti sunt. Ut vero dentes hoc peragant officium, maxime necessarium est, ut in altera maxilla, suos habeant antagonistas, intra quos, quidquid interven-

rit, frangitur. Si vero dens quidam delabatur, vel vi divellitur, tunc nullius plane utilitatis, sed muneris tantummodo causa antagonista est. De robore dentium validissimo, nuces testantur duriores, quas recusantibus reliquis corporis partibus, dentibus, sine quadam molestia, frangit homo. Cibus, morfu dentium incisivorum primo consciaditur & comminuitur, caninorumque laceratur; deinde inter latas molarium superficies conteritur. Quo salubrior status hominis, eo firmioribus instructus dentibus reperitur, quam ob causam, qui animalia, immo ipsos homines pro mancipiis emunt, gingivarum puritatem & dentium robur, tamquam signa sanitatis & vitæ infallibilia, probe observant. Morbos inter seniles referendum, quando dentes macula quadam nigra obducuntur, qua, cariei obnoxii, consumuntur & tandem decidunt. Uno vero sublato, oppositus in altera maxilla longior evadit, & perpetua quiete, indeque orto viscido & tartaro obducitur. Quo patet fatum ejus properare. Qui, ossa adolescentis maxillaria, cum senis comparat, primo intuitu, dentes illius profundius in alveolis defixos reperiet, quam senis; qui vacillantes supra marginem maxillæ sine ullo fere alveolo, adeoque sine adjumento laterali, altiores, locum suum tenent. Quamobrem, in maxilla juvenis, profundiores apparent alveoli, cum in Senis, a casu dentium, oblitterati & coaliti cernuntur. Hinc colligere licet, cur tanto dolore dentes in juvenibus extrahantur, cum provectorum sponte læpe decidant &

sine

sine ullo doloris manifesto signo evellantur. Quī vero restant *frustranei* sunt *molitores* propterea, quod antagonistas amiserint: & dum *pauci numerantur*, cibus, quem lingua profert & labia includunt, inter loca dentibus vacua, oblitescit.

Et obtenebrescent illi, qui spectant per FENESTRAS.

Fenestræ domus mortalium, oculi nuncupari merentur, quippe quorum ope & auxilio, quidquid in animo latet, facile intueri possumus. *Sunt autem oculi pars corporis pretiosissima, in quibus maxima indicia amoris & odii: Albert. Sunt veri cordis nuntia, quibus animus inhabitat. Plaut.* Ex opacis oculis vel clavis, haud difficile est vitu, sanus ne, an morbosus hominis status sit. Nam clari & vegeti oculi valetudinem indicant optimam; opaci vero morbi sunt signa certissima. Febres, Cacochymia, Leucophlegmatia, Icterus, Hydrops, plurimique morbi ex oculis optime dignoscuntur. In febribus phlogisticis & affinibus, oculi plus justo rubescunt. In criticis pallide flava albuginea oculi afficitur macula. Ictero cum quis laborat, oculi primo impetu flavo inficiuntur colore &c.

Oculos instar fenestrarum esse, per quas sensus interni, radios lucis suæ emittant, ex iis, qui dolore anguntur & tristitia, ex ira percitis, amore ardentibus, hilari & placido præditis animo, optime comperimus. Eleganter in hujus rei veritatem canit Poëta:

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.

Reus

Reus facinoris, oculos in terram plerumque dejicit, ne facinus ejus ex oculis legatur. Hoc etiam apud feras, aliaque animalia, quam sapissime experiri possumus; quoniam ex oculis, accrescens ira, luculentissime hauritur & decrescens, ut inde facile concludatur, an aditus illorum securus sit, nec ne. Omnium testimonio Anatomicorum, subtilissima corporis pars, & maxime sensibilis oculus est; ideoque nec mirum, quod ætate debilitetur & clarissima ejus pars, humor puta crystallinus, reddatur opacus. Cataracta, morbus senibus est familiarissimus, in quo lens crystallina opaca evadit. Amaurosis, apud ætate maxime proventus nec infrequens. Qui oculorum usura nimis fruuntur, visus obscuritate, vel Amblyopia, se tandem gravatos sentiunt, & in quinquagesimum vel sexagesimum annum proventus, perspicillis, utpote optimis adminiculis, uti sapissime coguntur. Ut taceam, senes objecta longius remota, quam propiora, cernere melius posse.

VERS. IV.

Occludenturque VALVULÆ FORO.

Tabus intestinalis, summo jure, platea corporis nostri dicitur; qui in duas dividitur vias, quarum una, ab anteriori porta, ore puta, ad forum; altera vero a foro ad exitum ducitur. Nemo labia senum incurvari ignorat, eorum imprimis, quorum dentes elapsi sunt. Obstipatio alvi, frequentissimum malum, annos infestat seniles,

les, quod medelam, licet omnem moveant lapidem Medici, multo rarius admittit.

Dejecta SONORA molitione.

Juvenes, ferme sunt garruli & loquaces, ora- que eorum ad loquendum plerumque reperiuntur patula; senex vero vitam silentio transiens, vix verbum, nisi summa urgeat necessitas, balbutiente tum profert ore. Variæ hujus silentii causæ sunt; muscoli tardius jam motum exercent, labia, quæ pueri habent quasi acuta & decurvata, senibus sunt laxa & ori inflexa, quo, eloquium minus redditur distinctum, ne dicam de trementibus loquelæ musculis.

Et SURGET ad vocem aviculæ.

Embryo, in utero materno continuo sepultus est somno. Infantes non prius expergefiunt, quam esuriant extinctaque, uberum lacte, fame, statim in dulcissimum saporem relabuntur. Pueritia ad medios usque dies, in utramque aurem otiose dormit, licet per totam noctem altus illos amplexus fuisset somnus; ideoque in hoc orbe sensim sensim- que, magis magisque evigilamus, & qua seniores, eo magis obnoxii vigiliis evadimus, ut tandem senes, nos sæpenumero totas pervigilare noctes, nullaque soporis dulcedine refici, queramur: quo tamen vires mirifice roborantur ac restaurantur. Pueri, tam profundo, non raro, immerguntur somno, ut, si quis ad aures eorum, bombardam exoneraret, vix evigilarent. At ex minimo strepitu excitatur senex. Hinc senes juvenibus exosi, quod pervigilio lassii,

prima hora matutina lectos suos relinquunt. Quicunque tempore æstivo, summa aurora, & præcipue dum Sol rutilantes radios supra horizontem spargit, cubitu surgit & aures silvis & lucis præbet exortetas, aves sonoris vocibus, atque multiplici concentu harmonicam modulantes musicam, qua nihil dulcius suaviusque nihil, lætabundus auscultabit. Immo ipse gallus, qui rusticis est horologium, ante lucem semper cantat, primum hora II. deinde hora III. postremo vero hora. IV. qua, rusticus surgit & munera aggreditur sua; sed, ad primam avium vocem excitatus, surgit plerumque senex.

Et deprimentur FILIÆ CANTUS.

Aures filiarum sunt cantus, sine quibus cantus nobis nullus. Auriculæ senum non modo exaridæ & contractæ, verum etiam surdastræ fiunt, ideoque non tanto voluptatis sensu ex musica & cantibus, atque adolescentes, capiuntur, quin ejusmodi oblectamenta illis tædium potius pariant.

VERS. V.

Etiam a re ALTA timebunt.

Maxima sane voluptas, & oblectamentum in eo etiam vertitur puerorum, ut summa montium cacumina & altissimos colles scandant. Senes vero, lento gradu ambulant, minimis obviis titubant obstaculis maximaque molestia sepem licet humilem scandunt; & si loca petant procliviora, anhelatione fere suffocantur, cum scorbutici, cedematosi, asthmatici sæpius evadunt.

Et

Et CONTRITIONIBUS in via.

Senes pedes a terra vix tollere valent; ideoque planissimas semper calcant vias; musculorum enim tendines, jam minus elastici & rigidiores evasere, cartilagine minus flexiles in ossa induruerunt, nervique demum lentius officio perfunguntur suo; unde rigor minorque mobilitas artuum pendet. Pueri autem cursu cum feris, lapidum inter moles & frutices certantes, certo humum signant pede.

Et florebit AMYGDALUS.

Hunc locum omnes fere Auctores per capillos albos exprimunt, qui cani calvescens illud senile caput exornant. Unde similitudo *Et sine crine caput Et sine fronde campus.* Flos hujus arboris, intus pallidus colore est, ut procul remotis alba appareat arbor.

Intempestivi funduntur vertice cani

Et tremit effæto corpore laxa cutis Scheuchz.

Et pingvesciet se CICADA.

Hoc si quis rite intelligere cupiat, perspectam cicadæ figuram, quam inter cantandum assumit, habebit; alas nimirum dorso tumidas, apice vero applicatas tenet, ut curvum appareat dorsum. Juvenes erectam & eximiam corporis figuram gerunt; Senescentes prono corpore & demisso, dorsoque incurvato, ambulant. Unde Poëta:

Contrahimur miroque modo decrescimns ipsi,

Diminui nostri corporis ossa putes:

Nec cælum spectare licet, sed prona senectus

Terram, a qua genita est Et reditura videt

Corn. Gallus.

Et peribit APPETITUS omnis.

Pueri varii generis ludis & ludicris inventiunculis sensus animosque pascunt, quæ ætate preclivioribus tædium, immo etjam fastidium propemodum creant. *Nec placeant lusus, qui placuere dñi.* Poëta canit. Tali modo Regi Davidi respondit Barfillai, hoc utens argumento: *Quantum est tempus annorum vitæ meæ, ut ascendam cum Rege Jerusballaima? Natus sum octoginta annos hodie; an dignoscere possum inter bonum & malum? Num gustare poterit servus tuus, quod comedam & bibam? Num audire poterò amplius vocem cantorum vel cantatricum? Et quare esset servus tuus amplius oneri Domino meo Regi? II. Sam. XIX. 35. 36.*

Hinc evenit, ut convivium adolescentium haud frequentent senes & pueri omnem moveant lapidem, ut senum effugiant confortia.

Quum abit homo in LOCUM SECULI.

Hæc verba clara & per se admodum perspicua sunt. Cum nulli contigerit impune nasci; unde Seneca: *Totum hunc, quem vides, populum, cito natura revocabit & condet; Mors enim omnes æque vocat, iratis Diis propitiisque moriendum.*

Et circumibunt LUGENTES per plateas.

Mos est vetustus apud Orientales, etjam hodie superstes, ut in exsequiis, lamentatrices mulieres adsint, querula nimirum voce tristisque ululatu dolorem de defuncto exprimentes. Sic etjam in aula corporis humani, cum ultima hæc tragædia instat, varii sentiuntur dolores circum intestina, corporis
plateas,

plateas, uti in hypochondriis, lumbis, inguinibus signa obstructorum vasorum fatalia.

VERS. VI.

Antequam abrumpitur ARGENTEA CATENA.

Per hanc catenam, alba ista *Medulla spinalis* innuitur, quæ ætate contabescit & exsiccat; quo contingit, ut Paraplegia inferior corporis pars afficiatur; cum nervi, secundum longitudinem totam medullæ spinalis descendunt, hujusque inferior pars primo emarcescere affolet, quo functiones retardantur & minuuntur; exinde etiam tarda senectus alvusque signis evadunt &c. Affluxus humorum, observantibus Medicis, in pueritia ad caput, quod tunc sæpius exulceratur & fluit; in juventute ad pectus, unde Hæmoptyles frequentiores; in virili ætate ad abdomen, unde Colica, Cholera similiaque mala; in grandæva ætate ad partes inferiores, unde Hæmorhoides frequentes, quæ sæpe exulcerantur, fistulasque ani generant, & hæ Paraplegias, dum apicem medullæ spinalis attingunt.

Et ejicitur AUREUS FONDS.

Per aureum fontem non pauci vasa lactea cum Ductu Thoracico explicant, quæ pabulum & alimentum corpori subministrant; vasa hæc lactea, uti reliqui canales corporis minimi, ætate & senio coalescunt, unde nutritio parcior; adeoque exsiccum corpus & tabidum traditur senectuti.

Et frangitur HYDRIA ad scatebram.

Vesica urinaria, hydria ad scatebram est. In-

continentiæ urinæ, anno ætatis ultimo senes plerumque obnoxii sunt: urina eorum, dolore, stranguaria, sponte stillat turbulenta, & in matula tenax concrefcit in gluten. Hicque mortis præco, scenam cum sene, tamdiu ludit, quamdiu vivos inter numeratur.

Et disrumpitur ROTA ad scatebram.

Dum renes transversim dissecantur, speciem figuramque rotæ cujusdam cum radiis & peritrochio præ se ferunt. Calculus urinarius, quiete corporis & debilitate, in renibus generatur, & hinc oritur Nephritis. Quo malo renes intus exulcerantur, & rota ad scatebram disrumpitur. Rex Salomo a scatebris Orientalium, e quibus, aqua rotarum adminiculo exhausta, in hydriam infunditur, eximiam sumit parabolam. Ut enim rota disrumpitur & hydria ad scatebram frangitur, sic etiam renes in homine labefacti, corrumpuntur & vesica urinaria, urinam continere non valet.

VERS. VII.

Nam redeat PULVIS ad terram.

Eleganter de hac re Vellejus. *Omne, quod ortum est, mortalitas consequitur.* Sic omnes, mortali quadam conditione generantur homines. Veluti pomum in arbore crescit, tandemque maturum dididit; eodem modo generatur, crescit, maturefcit & diem tandem supremum obit homo. Omnes corporis fibræ sensim obrigesunt, cartilagine in ossa permutantur, quo artus redduntur rigidi. glandulæ coarctantur exsiccatæ & obdurescunt; unde

unde humores, per meatus arctissimos, dilutionem & secretionem prohibentes, coacti, acriores evadunt. Membranæ cerebri & medullæ spinalis durefcunt & contrahuntur, unde debilitantur nervi: ideoque, eadem naturæ lege, qua cuncta, quæ in his sublunaribus subselliis moras neſtunt, ad interitum vergunt & destructionem properant, eadem etiam homo destruat, necesse est. Vinculo animæ & corporis soluto, in prima resolvitur principia, putrefcit & in pulverem terræ redit corpus. Cum Julius Cæsar sepulcrum Alexandri Magni viſitaret, eum perquam ſibi ſimilem, extrema figura, vidit; ſed leviffimo digito naſo ejus admoto, tamquam cinis collapsus eſt. Omne, præter inviſibile illud primæ generationis punctum, quod corpus conſtituit, per nutritionem & alimentum, aliunde acquiſitum eſt. Quæcunque nobis in victum cedunt, ex vegetabilibus aut animalibus, deſumuntur. Animalia ipſa, herbis enutrita, arbores & herbæ, qua primam originem, adeo ſubtiles, ut oculorum aciei fere ſe ſubtrahant, & reliquum, herbam conſtituens, terra eſt, quæ vi, in creatione accepta, huic ſubjicitur metamorphoſi, dum ceteris unita elementis formam induit vegetabilium. Sic homo, a terra compoſitus, in terram iterum reſolvitur.

*Hæc ſunt primitiæ mortis, his partibus ætas
Deſluit & pigris greſſibus imo petit;
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis
Non ſpecies eadem, quæ fuit ante, manet,*

*Contrahimur miroque modo decrescimus ipsi,
 Diminui nostri corporis ossa putes;
 Non cœlum spectare licet, sed prona senectus
 Terram qua genita est, & reditura videt.
 Ortus cuncta suos repetunt, mortemque requirunt
 Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.*

Cornel. Gallus.

De hisce plura qui velit, adeat varios, qui de hoc argumento, scripsere auctores, uti sunt *Wits* miscell. sacr. 2. exerc. 6. de incommodis senectutis. *Wedelii* Dissert. dec. 3. exerc. 3. de morbis senum *Salomoneis*. *Hottinger* Biographia sacra p. 40. 45. *Smith*. Salomonis descriptio Senectutis &c.

S. D. G.



pl. 38
 3